ACOLAS-TVS DE FILIO PRODIGO COMOEDIA,

Acolaſti titulo inſcripta, autore Guilhelmo Gnapheo, Gymnaſiarcha Hagienſi.










COLONIAE
Excudebat Petrus Horſt.
Anno 1569.

GVILHELMVS
Gnapheus Hagiensis Ioanni Sartorio Amstelredamo. S. D.





VVM sint, mi Sartori, hoc nostro tā docto seculo uiri egregiè docti, qui omne disciplinarum genus tractēt, uersēt, et excolāt: demiror poesim Comicam sic iacere neglectam, sic porrò intactam relinqui, tanquā res sit inimitabilis, & cui opera parū utiliter collocetur. Quod ni ita habere uideretur, non tam uelut coniuratè bonarum rerum scriptores inde temperarēt manus. Laudata est Comœdia Tullio, ut humanæ uitæ speculum: celebrata est doctorum uirorum calculis, sed indignè, si ipsa indigna sit, quàm multi conentur uel imitari, uel ad uiuum exprimere. Habet hæc ætas nostra suos Tullios & Liuios, habet suos Vergilios & Demosthenes, ut Solones, Hippocrates, ut Chrysostomos taceam: Menandros & Terentios nullos habet. An eò fit, quia sublimior eius rei habeatur tractatio, & non nisi summis ingenijs digna? Errat (mea quidem sententia) qui ita censet.



Nam ut Comœdiarum argumenta è media hominum uita petuntur: ita & tractari facilè possunt, ob styli mediocritatem dicam, an facilitatem, potissimum ab ijs, qui hominum ingenia, mores, & uitam sic habent meditata, ut ea pro decoro queant exprimere. Porrò autem ut hanc ego glaciem audax perfringerem, tentaui quid nostra qualiscunque tandem ea sit, Thalia daret. Argumentum delegi ex sacris, quod in Comœdiæ formam cogi posse iudicarem: præterquam quod hic res subinde in nimis Tragicas exeat declamatiões, idq; præter comicas illas leges, quas nobis tradidit Flaccus. Quod quidem crimen leuius esse duxi, quã à sensu & rei dignitate recedere. Malui enim pietatis respectui, quã literaturæ decoro alicubi seruire. Iam rem ipsam sic prosecuti sumus, sic stylum temperauimus, ut nihil habeant Sycophantæ, quod calumnientur. Habeant autem literatores pij, quod affatim doceant, & moneant bene. Multos noui ad hanc palæstram instructioribus animis esse, quos cupiam ad id genus studia accingere. Quo in loco & te, & Guilielmum meum Niueldium habeo, ut alios prætercam mihi non perinde notos. Quare sub tuam, mi Sartori, ferulam hic noster Acolastus (sic enim illi nomen fecimus) uenit: uenit ut pro meritis suis tractetur. Hoc enim onere ludum leua-

ri

ri opto, liberum tibi facio, ut eum quibus uisum est modis exerceas. Tam mihi non sum Meuius, tã mihi non ignosco, ut deformes catulos pro formosis tibi cupiam ostentare. Audiui quendam Reynerum Snoy medicum in eodem uersatum argumento, fortaßè etiã multò felicius. Id si ita est, pergratum mihi fuerit, si uir ille suum poema in lucem emittat, atq; ipse ridicula quædam Reyneri simia appaream: tantùm abest ut cuiusquam gloriam, nedum Reyneri, aut uelim aut poßim obscurare. Multò autem maximam gratiam initurus es uel tu, uel meus Niueldius, si modò hunc decoctorem Acolastum ad ueram frugem correxeris prius, q̃ sub aliorum oculos propinetur deridendus. Consilium mihi erat amplius in his tyrocinijs præludere ad ueram Comœdiographiam, nisi maliciosa quorundam inuidia ea mihi studia inuidißet, qui calumnia armati sua, ludo & ocio literario me pepulerunt, exturbarunt, et nescio in quæ odia rapuerunt: ut non desunt præclaris ubiq; rebus suæ pestes, & bonis uiris sui sathanæ. Quod ad metri rationem attinet, illud pro licentia Comica ut uariũ, ita et liberum fecimus: propterea quod Comicam phrasim conueniat ad familiarem & solutam orationem quàm proximè accedere. Sapphicum carmen præter morem iniecimus, eo in loco ubi res id

poscere uidebatur. Quòd si iuuet Comœdiam hāc publicè spectandam exhibere, haud malè instructam in hoc fabulam es habiturus. Quippe docebit pariter & delectabit, nisi me fallit mea philautia, maximè postquam tu eā reddideris tuo dolatorio leuigationem: Quam operam rudi & crasso operi non es negaturus spero.

Vale.



Tuus Gnapheus.

Actorum nomina.

Pelargus,	Pater.
Eubulus,	Is patri est à consilijs.
Acolastus,	Filius prodigus.
Philautus,	Hic filio est à consilijs.
Pamphagus,	Parasitus.
Pantolabus,	Scurra.
Sannio,	Leno.
Syrus,	Lenonis seruus.
Bromia,	Lenonis ancilla.
Lais,	Meretrix.
Syra,	Laidis pedissequa.
Chremes,	Rusticus.

Prologus.

PROLOGVS CONSTANS SENARIIS.

VOS nulla captet obſecro admiratio,
Quod hîc uidetis, optimi uiri, nouos
In apparatu ſcênico titulos, nouam
Qui nos daturos eſſe fabulam arguant:
Haud me latet, quanto odio uocabulum
Noui laboret. Verùm enimuero hîc nouis
De dogmatis ne μὺ quidem. Paradoxa nos
Nullo loco dignabimur. notum omnibus
Eſt argumentum, quod palàm tractabitur,
Sed Comicis ſtrictum metris. Neſcias,
Euangelion, nota parabola prodigi
Vitám recenſet filij, illam ſcilicet
Nunc exprimemus ludicra actiuncula,
Cuius ſub inuolubro habes myſterion.
Sed audio inter uos ſuſurria neſcio
Quæ, de noua impudentia & cornicibus.
Sanè impudens non ſim, quòd artem muſicam
Tractare iudicauerim omnibus quidem
Licere: cuius palma, uel Terentio
Teſte, in medio ſit poſita, laudi non poteſt
Non eſſe, quòd rudes tyrunculi uelint
Virtutis edere ſpecimen uel per iocum,
Vt ſerio auſint geſtibus concurrere.
Tum nolo quiſquam nos putet cornicibus
Configere oculos, quòd domi noſtræ recens

Nata actione, gratiam nobis bonam
Venemur à uobis, probatis fabulis
Plauti, atq; item Terentij, uelut simul
De ponte deiectis. Nihil nos Zoile
Vel dente uel liuore tuo commoueris.
Etenim Terentio atq; etiam Plauto suas
Laudes, ut optimis poetis, stare qui
Nolit, meretur is quidem probra omnium:
At nos poemate hoc etiamnum à follibus
Calente nemini suam ademptum gloriam
Venimus ipsi inglorij. tantum id studet
Grex histricus, uobis leuare nauseam,
Quam plurimam accepistis ex ijs fabulis,
Quas uel panis frusto exciti quidem exhibent
Frequentius quàm doctius: palmarium
Sibi pollicentes inde, quòd bonas malè
Semel atq; iterum recoxerint comœdias.
Quibus suam scabiem affricant illi, haud minus
In explicando quàm exhibendo. Ringitur
Ibi, nescio quis. Heus tu, quid ardent lumina?
Ecquid caput motas, quasi iratum admodum?
Vah, an hulcus est tactum tibi? Credo, quia
Malum uidere interminari. Sed tibi, en
Vnguem hunc medium. Placere enim tantũ bonis
Studemus: ij nunquam uicio uortent, sui
Quod senserint studio fieri, si non satis

Feliciter per omnia, sedulò tamen.
Quod restat, ô spectator optimè, ne grauè
Tibi sit, silentio fauere literis,
Dum intenditur grex noster actiunculæ,
Quam suscipit, tibi ut operam suam probet.
Quòd si placebit interim, nil amplius
Memineris, atq; debitum plausum dare.
In prologo hæc satis. Periocha sic habet.

ARGVMENTVM COMOEDIAE.

DVos quum haberet filios pater, abdicat
Iuniorem: is à patre accepta substantia,
Statim peregrè profectus, perditißimis
Sese applicat nebulonibus: mox alea,
Lasciuia, luxu, fœdè rem prodigit.
Exhinc eò calamitatis incidit,
Vt rebus exutus, siliquis & glandibus
Famem eximeret. cui quum pertæsum inediæ
Esset, paternam regreditur supplex domum.
Pater reducem sibi gratulatur filium:
Amplectitur. sub hæc epulatum prouocat.

ACTVS I. SCENA I.

Pelargus, Eubulus,

Senarij omnes.

NVnc demum sentio quanta sit felicitas,
Et quanta quies habuisse liberos patri
Per omnia obsequenteis. Ego, quoad pro meo

Animo moderarer filium, annis paruulum,
Prætereà tam bene conditum, ut nihil amplius
In eo desiderare posses: tum quidem
Viuebam uelut in utranq; aurem dormiens.
Imò mihi plaudebā, qui gnatum habere præditum
Tali ingenio & modestia, unde gaudium
Possem mihi polliceri perpetuum & bene
Stabile: At nunc postq̄ detracta hypocrisi, malus
Apertè cœpit esse, adeoq; id institit,
Manu ut mea emittatur: uah, quæ cogito?
Quibus nunc sollicitor rebus? ne ille hinc sibi
Primam fenestram ad nequitiam patefecerit,
Ne ue seruus peccati euaserit ex libero,
Patris imperium lene dum malè sanus abijcit,
Id quod de ipso speraueram nunquam fore.
Hoc illud est, quod uulgò consueuit frequens
Dici: penuriam multò meliùs feras
Quàm saturitatem. Nam illa multos continet
In officio, hæc uerò ad proteruiam meum
Perpellit filium, quandoquidem malit
Errare quolibet ex sua libidine,
Paterno quàm sinu foueri amplius.
Nam ille haud scit, q̄ præsens sibi accersat malum.
Sed quid? sinam à me abire filium,
Quem destinaueram hæredem regno meo?
Id Eubulus forsan meus non suaserit,

Quo consule semper usus sum feliciter.
E. Nō possum (quod meū ingeniū est) quin sedulò
Agam, laborem, in officio sim pro meo
Pelargo, cui ceu Theseus quispiam Herculi
Coniunctus sum, idq; ob morum similitudinem,
Quæ ut inter nos est ferè consentanea,
Ita mutuum amorem conciliet oportet. hinc
Adeo nullum elabi diem patior, meum
Quin illi deferam officium. Illuc scilicet
Mihi iter est. Pe. Cuius hîc uocem audire uideor?
Num Eubuli? is est ipsius: per tempus aduenit.
Videon' te Eubule mi; meo animo maximè
Nunc expectate? E. Eho, quid iam quæso tristis es?
P. Haud simplex est malum, q̃ me sollicitū habet.
Eu. Quidnam est? Pel. Eubule mi, nihil. Eu. Quin
dic quid est?
Pe. De filio núm nām audisti? Eub. quid is studet?
Pel. Alienum sese facere à patria domo.
Eub. Tuúsne filius? Pel. Meus. Eub. quid audio?
Pel. Minor ille natu hanc mihi mouet tragœdiam.
Qui utinā ex me nat⁹ nō esset. E. Bona uerba. Sed
Vnde istud quæso uenit in mentem, nisi
Indignis ille abs te sit tractatus modis?
P. Imò ne nimis dignis uereor, Eubule. Eu. qui?
Pe. Dicam. Isthunc ex me natum eduxi à paruulo.
Habui, amaui ut meum, in eo me oblecto, illius

Salutem

Salutem curo, nil prætermitto, ut queam
Prodesse. Studium omne meum illius commodo
Consecro. Deniq; uelut in sinu meo
Eum foueo unicè, nunquam ut meam
Benignitatem senserit in se claudier.
Optare quicquid ausus est, habuit: meis
Bonis uoluit frui, uoluit recto pede
Incedere, liberum illi factum est, quolibet
Mentem suam inclinare, quolibet in animi
Extendere: tantum ne rebellaret mihi,
Dedi mandatum, huic pareret iussui. Vbi
His studijs illum mihi firmißimè puto, &
Perpetuò deuinctum fore, euenit, bonæ
Conditionis tædium ut acciperet. hinc uiam
Occœpit comminisci, qua se emancipet
Paterno iure. Philautus eam glaciem secat.
Meditatis rationibus illinc proficiscitur
Rectà ad me. Heus tu pater, inquit, ætas quæ mea
Sit, ipse uides: satis sub imperio tuo
Egi, ualet mihi iudicium, ualet ingenij
Vigor, meas uires uolo experirier.
Tam grandem detineri me patris iugo,
Inscitia est: æquales, qui sunt mei ordinis,
Ad unum omnes gaudent dudum repudium
Dedisse patribus, quorum iniustitia grauis
Est filijs. Per me satis sapio, nihil

Custodis egeo. Proinde uolo debita
Substantiæ mihi scribatur portio,
Nisi nullis legibus teneri te putas.
Hæc illius erat luctuosa oratio. (lut
E. Satis superbè omnia. Quid tu ibi? P. Primū ue-
Attonitus hæsi. Pòst mihi redditus: Adeon'
Inquam, uel inhumanus tibi, uel durus fui,
Vt te mea iniusticia eijciat? Ocij
Credo tibi obrepsit saturitas. hinc tui
Te pœnitet. hinc præsentis te sortis piget.
Nunc uis conscribi à me substantiam tibi.
Nunc uertere solum uis: uide ne quàm tibi
Istud sedet cordi, tam multum incommodet.
Solent enim subita consilia ducere
Secum comitem præsentem pœnitentiam.
Non desunt exēpla, quibus quod ago, cōprobem.
Nisi si patrem non audias, frustrà audias
Exempla, Porrò quis tam confidens fuit,
Qui te corrumpere sit aggressus? Aut malè
Odoror, aut Philautus consultor fuit:
Is frigidam suffudit: strennuus quidem
Ille, & cordatus monitor, bene si quid monet,
Qui te ad scopulos è tranquillo inferat. nocens
Profectò τῆς φιλαυτίας malum,
Quod quò magis fuco quodam suo tegit
Venenum, hoc est nocentius. Quàm blandulus
Syren

Syren Philautus à fronte: at post senseris
Dulcis ueneni aculeum. longe hinc fuge
Mi fili, si modo tua tibi cordi est salus.
Sic dixi. Eu. Quid, num his ille quietus redditur?
Pe. Nihil minus. Imò cœpit hinc magis
Atq; magis ius suum urgere, & leges bonas
Inclamare, quibus contendunt ephebiam
Transmissos solui iure patrio. Eu. Sed quibus
Tandem uerbis conuenit inter uos? Pel. Nihil
Conuenit, hoc tantùm respondi, me amplius
Super his deliberare uelle. Nunc mihi
Quid consulis faciendum esse Eubule optime?
Eub. Dicam: Principiò quando obstinatè fugam
Parat, memineris hoc uerè dictum à sophois:
Inuitum si retineas, exire incitas.
Sine eum modo suo animo obsequi, ut sibi notior
Paulò post redditus, uideat, proteruia
Sua quò reciderit malorum. dehinc tuas
Sub alas si recurrerit, atq; supplicem
In gratiam tum admiseris, certè hinc magis
Tibi filium alligaueris, ac dudum fuit.
Sic sentiet, quanto sit præsidio pater
Ei, qui uel tandem resipiscat perditus.
Vt taceam, quòd bonitas tua hinc euaserit
Longe commendatißima, si sese exerat
In immerentes, & facilem, & piam, & bonam.

Pelarg.

Pelarg. Quid? censen' igitur numerandam pecu-
niam

Qua ablegetur? Eu. Scilicet. Pel. Os durum. Eub.
Postulat

Istuc res ipsa, ratio, iuraq; publica:

Faciundum est. P. quid? non mihi ius est lasciuiam

Illius, obsecro, retundere? Eu. Non habes

Necesse pro imperio tuo omnia agere: quin

Sine, abeat. Pe. quando ita uis faciam, magis tibi

Gnatum tractes, tantùm obiurgato amantiùs,

Credam, quam animo meo. Eubu. Sed heus, ne sae-
uiùs

Pariterq; moneas, quid cauere oporteat

Periculi. Pel. Meminero, modò ad ærarium

Illum expectabo, dum redeat. Quid tu interim

Eu. Domum eo. Pel. Quid quod te oro? Eu. quid?
Pel. Vt ne sit mihi

Te consultore diu carendum. Eu. Vah, quasi

Vnquam diu carueris. Pe. Dij boni, ut sapit

Eubulus, ut prudenter consulit, ut uidet omnia?

Ianum bifrontem hunc uerè dixeris,

Tam in occipitio quoq; oculos multos habet.

Huiùs consilium ut ex animo meo parum

Sit, fecisse tamen non pigebit forsitan.

Nunc ut diei gnato dictæ tempus est,

Rationes omneis concinnabo ad calculos.

ACTVS I. SCENA II.

Acolastus, Philautus.

Trochaici catalectici.

ME nisi animus fallit, omnia succedent bene. Ph. Sed patris
Vim & facundiam, uereor, ut fortiter feras. Ac. Egon'?
Obfirmato animo meam rem agam. P. tantùm caue suis
Ne te sæuis dictis protelet. Ac. protelet? omnia
Mea mihi meditata sunt, nihil formidem cōgredi
Vel cum tribus oratorib. P. At iam credo satis diu
Rem tuam deliberasse patrem. Quid respondeat
Vise. Ac. Aggrediar. Ph. Hem macte animo, i sanè quo tua te uocat
Virtus, i pede fausto. Miror si res ex sententia
Huic cesserit. Aut ego fallor, aut repelletur, ne causam agat,
Tam meas rationes omneis hic Pelargus abijcit:
Quare cum illo fatali pugno odio. Acol. Philaute mi, heus
Heus Philaute. Ph. Quis me? Aco. Cor mihi salire iam incipit.
Ph. Hem, quî dum Acolaste? Aco. Quia pater erario aßidet, suum
Censum supputās, ut opinor: quippe au.ibus meis

Hausi

Hausi tinnitum, ad fores placidè aßistens nostras.
Phil. bene (mea,
Est, tu intrò irrumpe ad senem: expectabo te domi

ACTVS I. SCENA III.

Trimetri.

Acolastus, Pelargus.

NVnc quod futurum est, colligo, nunq̃ dabit
Pecuniam pater, nisi moneat priùs,
Vt ne profundam, perdam, confringam malè
Rem omnẽ: idq; aget uero uoltu, tam mihi timet,
Sed nescit quàm surdo narrabit fabulam.
Ego faciam tamen, ut pulchrè respondeam
Illius uerbis, alia quàm cogitem, loquens,
Meus dum dinumeret mihi argentum senex.
Sic illudendi sunt patres isti, nimis
Rigidi in nos iudices. Sic imperium cadit,
Quòd ui magis quàm beneuolentia asserunt.
Vt sim omnibus gratus, profugi nomine,
Mihi quod pater inditum uoluit: ex re meus
Philautus aliud subdidit concinnius,
Acolastus siquidem & esse & dici gaudeo.
Satis adhuc cessatum est, adire eum uolo.
Adsum pater, ut quid uel tandem respondeas,
Audiam: Itá ne rationes studiose conficis
Omneis, ut portionem conscribas mihi?
Pe. Nempe, ut ariolare fili. Ac. Amo te plurimum,

 Et non

Et non neglexisse habeo in primis gratiam.
Pel. Quod ô cum salute tua fiat. Aco. fiet pater,
Ne quid time. Sed obsecro quantum dabis?
Pel. Adeon' tibi in pecunia est animus, nihil
Vt imperes isti tuæ libidini?
Fili, id adeo edico tibi, nisi quieueris
Reducam calculum. A. Rectè pater, obsecro
Perge. Pel. pergam? ne me obturbaris pessime,
Concede istorsum aliquantisper, dum te uocem.
Ac. Faciam. Hem, quid egi? nūc malè metuo miser,
Ne non æs omne reddat, uel quòd auidior
Est ad rem, uel quòd est commotus. Ineptias
Hominis, nescis tractare ægrotum animū patris.
Quem debebas meminisse tam irritabilem.
Pel. Ehodum ad me fili. Nunc utrum uis sub meo
Præsidio degere, an peregrinari foris?
Fac cordatè respondeas. Aco. Pater, foras
Me animus uocat. Pel. Prauus sanè. Quid si sinas
Te exorari, ut maneas domi, meis bonis
Fruiturus perpetuò? Certè, patrem foris
Tu nusquam inuenias gentium. Ac. Credo pater,
Sed proficiscendum est, decretum stat. me feras.
Pel. Non possum tam blandè mi fili dicere,
Vt animum mutes? Ac. Operam ōem ludis pater,
Potius tentabo, quid possim uel legibus,
(Vt isthuc cum tua dicam pace interim)

Si quod rogo, non impetrem cum gratia.
P. Quando obstinatè operam te uideo dare, meum
Vt tibi iugum excutias, alioqui amabile,
Age, non libet tecum pugnare, sed habe
Hanc zonam tibi, decem talentûm rem tenet:
Ea est substantiæ tuæ æqua portio.
Quid gestis gnate mi? Ah, nescis quid gaudeas,
Crede hoc mihi, si quid unquam monui bene,
Acerbius flebis, quod temerè niteris.
Ego seculum hoc noui, quibus sit moribus,
Tum te pernoui, quo sis ingenio. tuum
Si animum uicisti potius quàm animus te, sino
Vt gaudeas: Verùm quoniam uideo secus
Te esse habitum, non possum, quin deplorem tuam
Stultitiam, pariterq; doleam te abscedere.
Aco. Pater obsecro, ne quid te excruties mea
Caussa, nullam pepererò tibi ægritudinem.
P. Vtinam. A. Certè pater, nũquid me uis? P. Puer,
Hem, ægrè propter me consistis uideo: pedes
Tibi pruriunt, ardentq; fugam. Sed hæc priùs
A me si imperia capesses, multa in pectore
Tuo bona considebunt. Principiò, tuam
Mentem fac nullis artibus imbuas, nisi
Quarum in me exemplum aduortis: meis item
Fac uiuas moribus, ut qui pœnitendum habent
Nihil: uolo tuo animo haud quaquam seruias,
 Quem

Quem præstat semper habere suspectum. Caue,
Diuertas ad nequiora à præceptis meis.
Postremò, habe hoc tibi monumentum ut regulã,
Ad quam mores, uitam, & mẽtem instituas tuam;
Hæc sedulò uerses, hæc mente tractites:
Hæc pro cynosura quapiam limet oculus:
Hæc sint tibi ceu lapis Lydius, ad quem probè
Tete explores, ut qui sis, noscas intimè.
Ab ijs enim si quid uel ira, uel animus
Deliret, peccatum id quidem esse memineris.
Aco. Est præterea quod uis? Pe. Vt perpetuò bene
Valeas. Ac. Valebis igitur mi parens. Pel. Vale.
Vale inquam gnate mi, gnate æternum uale.
Quæ hæc est miseria? proh Deũ atq; hominũ fidẽ,
Itan' diuelli à me quod erat charißimum?
Oh quem luctum paras, quas curas inijcis
Patri, ipse securus nimis, pulchrè quidem
Tuam rem abiens stabiliuisti: sed nescis, ah,
Nescis, serus quos exitus uesper uehat.
Sanè illud demiror, qui fiat, ut mihi
Quom maximè peccet gnatus, nequeam tamen
Acerbiore in eum esse animo. Vt nunc res ferunt,
Vtinam tàm possem filij obliuiscier,
Quàm ille, ò dementiam, ne auersatur libens.
Huc huc calamitatis scilicet tuo
Philautæ consilio inferor: ò dolor grauis.

Actus

ACTVS I. SCENA IIII.

Acolastus, Philautus.

σκάζοντες.

NVm quis me uiuit fortunatior? Num quis
Fortunæ filius dici magis debet
Ex merito, quàm ego, cui contigére pro uoto
Omnia? P. Quis hic beatum uenditat sese? Hem,
Aurûmne habes Acolaste? A. Habeam rogas? zona
Vide ut tumeat. Ph. hoho. talenta quot? A. decem.
Phi. Hui, tantam ne auri uim? Aco. Tantam. P. Vnde, quæso te,
Patri ista largitas? Ac. quia arte tractabam
Virum doli ignarũ. Phi. ô lepidum caput, laudo.
Præsidium fortè expugnasti hodie: quid restat,
Nisi ut triumphum agamus intus? Aco. Accedo
Tuæ sententiæ. Phi. Sed quid libri hic gestas?
A. Id pignoris pater mihi relinquebat.
P. Phy, bibliorum codex est, ualeat: insiste
Tuas tibi res curare, nempe quo pacto
Iter tuum instituas peregrè profecturus:
Codex non æquè inimicus, atq; hic est nobis.
Ego tibi mox alia instillaro præcepta.
Aco. Sed mihi grauiter pater est interminatus, ne
Hæc à me amitterem. Ph. Isthæc uerba sunt, mitte:
Quin concedimus intrò? Acol. Impera, & puta factum.

ACTVS II. SCENA I.

Pantolabus, Pamphagus;

Octonarij omnes.

NAi miser ego sum, qui quòd edam, quæro & id ægrè inuenio: gulam
Habeo extrema fame penè strangulatam: uenter inedia
Exhaustus est, stomachus latrat, tum pēdulæ marcent genæ.
Pol dentes pruriunt. me nullus est ieiunosior,
Neq; magis effractus fame: scabri rubigine
Dentes, labiáq; incaua situ me loquūtur famelicū.
Quare, hunc præsentem habere Deum, placaret qui mihi
Ventrem iratum: Parasiticæ artis gnarum optem dari obuiam,
Quem sectari liceat, postquam in fumum cineréq; uersa sunt,
Quæ possedi oīa. Vel è flāma nō grauarer impiger
Cibum petere. O fortuna, ut nunquam perpetuo bona es. Sed hic
Ne est Pamphagus, meo quē inui beneficio toties? is est.
Pam. Quis hic nouus subsistit hospes? Pantolabus est. Insolens
Istuc quidē facit. Nō pōssū quin salutē et colloquar
O salue

O salue plurimum merito tuo uir optime. Pantol.
Pamphage,
Salue plus millies. Pã. qd hic negocij tibi? Anuenis
Obsonatum ad forum Cupedinis? Atqui ea est pro
uincia
Parasitorũ. Pãt. Memini. Sed eò res redijt, ut trans
curso opus
Mihi sit ad ordinem uestrum. Pamph. Ad nostrum
ordinem? quid audio?
Pant. Sic fors fert. Pam. Sed turpe est nimis à bu-
bus ad asinos transcendere.
Pant. Vt fit, durum telum necessitas. Pam. Nihil ne
est amplius
Rei? Pant. Nihil quicquam, abligurivi omnia. Hinc
memet foro
Subducens, lateo domi hunc totũ mensem, ibi uap-
pam bibo, panem
Atrum uoro, inedia ringor cochlearum instar ui-
uens miser.
Pam. O me ter felicem, cui tam acrè bellum cum
Penia haud fuit,
Qui suetus sum, ut mures, alienum sempèr arrode
re cibum.
Quid an te nõ piget tã acerbè sortis? Pan. Ne Tan
tum quidem
Pigeret, si modo tuam disciplinam nunc sectarier

Liceret. Pam. Forsitā liceret, si potis esses assequi.
Pan. Conarer ut possem Pamphage, uenter magister ingeni,
Meos conatus iuuerit. Pam. Sed nescio q̃ feliciter;
Panto. Hem, me uide, ut prolixè agis? Rape me sodes, collegio
Tuo inautorandum rape, postquam nullam planè artem calleo,
Qua possem uiuere ὁμόσιτος. Pamph. aū, non sunt illotis sacra hæc
Manibus tractanda. Pan. Satis ne lotus sim, qui corruger famè?
Pam. Specimen tuæ des artis oportet: dehinc nostris comitijs
Indictis, si uoles, nomē dabis cum plausu et gloriâ.
Panto. Ea lege, obsecro, me discipulum habe tibi; cui profui
Re saluâ sæpè; nisi immemor es beneficij accepti. Pam. Immemor?
Agè suscipito te parasitastrum. Panto. Habeo pol gratiam: quid est,
Quod me nunc uis facere? Pam. Vt me obserues sèdulò. Pan. Quî dum. Pam. Seria
Curanda sunt. Panto. Quid seria, securus quonam ferrer pede,
Seria curaui nunquam, nisi seria uentris negocia.

Appellites.Pã.scilicet.Pãtistuc psuadeas Catonib.
Rigidisq́; sophois,si quid uales oratione.Pam.Pro
    suo
Illi sapiant ingenio,non equidẽ inuideo:nobis item
Palatum neutiquam desipit. Hic & nos philoso-
    phi sumus
Aesopici Gnatoniciq́; cuius sectæ plurimos
Clientes in forum producimus.Pant. Quibus sed
    ducibus
Freti?Pam.Magnis,Epicuro,Aristippo,Catijs &
    Apicijs.
Pan.Duces illi haud sunt pœnitendi:per Genium,
    perdoctus es,
Laudo.Sed ad seria redi.Pamp. Rectè.Nescis quæ
    uiderim
Insomnia?Pan.Falsa.Pam. Non opinor,post mediũ
    um noctis ferunt
Vera esse somnia, quõ sumus purgatiores scilicet.
Pan.Intelligo.Sed narra somnium.Pam.Hodie com-
    strato in toro
Videbar ad mensam plenam lautusq́; unctusq́; ac-
    cumbere:
Cerealem dixisses cœnam, hinc uelut e pleno cor-
    nu datam
Et quod ederem, & potarem. Inde adeò in digi-
    tos pedis mihi

Standum erat, ut de summo quidquam peterem:
Vis dicam? Dis quidem
Videbar, cui adfluerent bonæ undiq; deliciæ. Pan.
Tam grata sunt
Quæ memoras, ut dentes uenterq; hinc gestiant mihi. Vigilans
Vix ausim optare, dormiens quæ somnias. Pamph. Tum nescio,
Quid uisus telorum ictus portendat ominis boni.
Pant. Vah, somnium hominis, quæ narrat? Pã. quid hoc satin tibi placet?
Pan. Vereor, ne leuus hic augur sis. Pamp. Nil credis nisi quod uides?
Abi in malam crucem, dignus, quem nunquam sancta saturitas licum
Beet cũ isthac tua incredulitate. Pã. obsecro fame
Meũ uentrẽ fac somnijs tuis satures, si quid habẽt
Rei. Pã. Irrides. Pã. Nõ rideã, q; carbonarias opes
Pro germanis ostentes, somnijs felix? Ridiculum. Pam. Age,
Ridiculum sit, quando ita lubet. porrò, quam non sim stultulus
Vates, uidebis, dum fiam hinc cellarius cuiuspiam
Nummatoris domini: opulẽtia cuius cõstruxero
Tam largum uentri commeatum, ut si regum sim maximus.

Pant. Hic, credo, uigilans somniat: Pamphage, bea
tum me in tuo
Regno tum quæso facias. Pamp. Vel primus eris a-
pud me, si probè
Adulcris. Pant. Sed unde plebiscita ordinis nostri
petam?
Pamph. Vnde rogas? à Terentiano illo Gnathone
principe
Viro. Pan. Hic te opus fuit interprete optimo: ne
mo artifex
Nascitur. Pan. Operam meam tibi dico: Pant. agè,
doctoris suscipe
Partes. Pam. Nolo arbitrum quenquam esse nobis:
Sed pone fabricam hanc,
Tutus locus est, ibi elementa dabo; fac te docilem
præbeas
Discipulum. Pantol. En aurem utranq; surrigo ad
magistri dogmata.

ACTVS II. SCENA II.

Philautus, Acolastus.

Senarij.

QVid hæc Acolaste, præ ut illa, quæ pater de
dit?
A. pater futilis est, somnium, iners, ualeat: magis
Tua me Philaute dicta stimulant. Fac tibi
Fidas. Et quodcunq; inciderit in mentem uoles,

Teipse

Te ipse fruere. Spes omnis in te sit tibi.
Sic uiues felix ac beatus: altiùs
Hæc cordi hærent, q̃ ut momento leui excidant.
Phi. Macte es uirtute. A. Iam uale Philaute mi.
Phi. Vale, longùm uale Acolaste optime maxime.
A. Quàm me Philautus ui sua totum occupet;
Si maximè dicam, nemo credat tamen:
Adeò in illum uelut effusus sum pectore.
Quò fit, ut nulla hinc capiar pœnitudine
Mei, ut mihi ignoscam, et mihi placeam nimis.
Quis hoc statu me non beatum prædicet?
Superest, ut iter ingressus, hæc mea gaudia
Tester, festiua quàm paro cantiuncula.

Acolastus canit.

O Dies festus niueo lapillo
Dignus, ô lucis facies serena,
Qua licet demum positis suauè
Viuere curis.

Nunc iuuat lautè Genium fouere,
Nunc iuuat sacræ Veneri litare,
Nunc iuuat ludos & amœna carni
Gaudia ferre.

Exulat tergo monitor seuerus,
Et iugum collo iacet ô remotum,
Libero quouis pede iam licebit
Tendere gressus.

Qui tuli multos dominos iuuentæ,
Qui iugo solui toties cupiui,
Liber emissus manibus parentis,
Viuo beatus.
Gestiens adsit iuuenum corona,
Plaudat, & sortem hanc mihi gratuletur,
Concinnat Musæ celebres canora
Carmina uoce.

ACTVS II. SCENA III.

Pamphagus, Pantolabus, Acolastus.

Octonarij.

QVid hæc tibi uidentur? Pan. Rara profectò mysteria.
Pam. Vide ut contineas. Pant. accuratè omnia, memorem me senties.
Sed unde escaria nobis æstuenatio? Vbi cadauer est
Quod adcurramus uoltures? Nam uel lupo esurientior
Sum. Pam. Quod de somnio iam iam dixi, meministin' obsecro?
Pan. Memini. Pã. Hinc te bene sperare iubeo. Pan. Sperare autem, quom nihil
Sit, quod edatur? Pam. Mane, mane, non spem meram sed rem dabo.
Pan. Promißis quis non diues esse poßit? Pam. Ossam saxo in os

Tibi

Tibi obiecero; nisi enim me omnen lætum fallit,
nanciscimur (sime.
Hodie herũ qualẽ uolumus, qui nos accipiat lautis
Hem, ad rostra te uoco. Pan. Quid illo? Pam. Vt ui
deam num qui uenerint
Legati aut hospites nobis. Pan. Malim ad Cupedia
rios
Vocarier, nam differor fame. Pam. Ah, quã plum=
beus es lucri
Bonus odor illinc adflauit nares meas. Pant. Si odo
ribus
Et somnijs uentrem pascas, quid adhuc famescere
me finis?
Pam. Heus tu, ne spera communem tibi sortem, nisi
sequeris.
Pan. Sequor uel ad manes imos, si iusseris. A. Nunc
gaudeo
Superasse me uiarũ oẽis crepidines: cedãt graues
Curæ, mœror facessat, optato in portu quom na=
uigem. (ctore
Posthac quidquid libet, licebit protinus. sub pe=
Quidquid tacit⁹ uersabo, id in liguã mox immanius
Liceater deriuabitur: neq; obstrepet quisquã meis
Studijs, ut hactenus obstitit durus pater, à quo me
exulem
Meapte sponte reddidi, ne sit corrector amplius:
Iam

Iam id adfectabo,ut assurgăt oēs uenienti:dextras
Inijciant,cōmessatum ducant : denique delibutus ut
Viuam perpetuis gaudijs. Tum uel multo auro ad
iunxero (an
Oēs mihi. Monarcha sic regnabo præpotēs.quid,
Non albæ filius gallinæ iure censear,optimis
Plane prognatus ouis?nullis cessero, ne dijs quidē
Postquă meus Philautus subiecit mihi boni et mali
Rationes omneis,quas ad unguem teneo.Porro au
tem obuiam
Optem dari hospitem amicum, qui me magnificè
tractet,uirum
Sane omnibus modis dignum, cui omnes optata o-
mnia ferant.
Quod si me nossent,qui siem,gregatim ad me con-
currerent
Cupediarij,coqui,fartores,unguentarij,
Pomarius,piscator,auceps,leno cū scortis ualens,
Pam.Pantolabe, quem procul huc uideo aduenta-
re?.Pan.Nescio,nisi
Ad mercatum uenit hic peregrinus hospes, ut ap-
paret.Pam.bene
Habet:hinc nobis,quod spero,materia certi aucu-
pij datur.
Exprompta nunc opus est astutia. Pant. Mi Pam-
phage zonam habet,

Pamph.

Pam. Zonam? Aco. Sed neminem hic uideo. Panto.
Audin' quid dicat? Pam. Vult noscier.
Aco. Quonam diuortam cogito. Pam. Et hospitem
quaerit. Pant. Cinaedus est
Ex uoltu & filo corporis. Pam. Praeda haec nostris
est unguibus
Digna. A tergo me huic inseram. Pan. quid me autem? Pam. Fac uerbis meis
Subseruias, ut hinc nostro in albo te dignum habeas locum.
Pã. Hospes bone, hospes clare, iubeo te saluere plurimum.
Pantol. Propino tibi salutem plenis faucibus uir
optime.
Pam. Facetè, lautè lepidè isthuc tene. Acola. Vicissim comprecor
Vobis laeta omnia, quicunq; estis. Pamp. Magnam
herclè gratiam
Omnes meritò habemus, tuae humanitati. Pan. Vir
bonus
Es ex habitu. Pam. Sed in his quamobrem peregrinaris regionibus?
Ac. Huc me grauis tempestas impulit meorum adfectuum.
Pam. Ecquò destinabas iter? Ac. Quolibet, ubi liceat meo
Pro ingenio uiuere. Pam. Isthuc hic licebit cõmodissimè.

Si ne

Si nescis, hic habitant omnis generis Veneres & Gratiæ.

Pant. *Hic œnopolia, myropolia, pharmacopolia stabulant.*

Pan. *Neq; hic desiderabis Musicum concentum.* Pan. *Gaudijs*

Hic affluēs. Aco. *Sanè auspicatò, ut audio, huc te tuli pedem,*

Vbi frontem exporrigam, Vobis nomen dabo, Pā. *Nomen tuum*

Quod est? Ac. *Nomen? Acolastus.* Pam. *Acolastus? Vah, nomen conuenit.*

Pam. *Hem, noster es.* Acol. *Certè, quòd uester sim repertus, gaudeo.*

Sed nulla ne spes est potiundi hic principatus? Pā. *maximè*

Imprimis ista corporis tui forma heroica placet;

Tum mores, indoles, cultus, & disserendi gratia,

Magno te ortum loco arguunt. Pan. *A capite ad talos pulcher es.*

Pā. *Imò dū te cōtemplamur fixiùs, diuina elucet in*

Te quædam maiestas. Acola. *Nihil est in me, quin omnes plurimum* *(palpū obtrudier*

Id amem: uiuo & regno. Pan. *Non sentit caudex*

Pam. *Hem, regē hūc esse oportet.* Pan. *Scilicet, tot clarum dotibus,*

Aco Si nosceretis quid mecum portem boni, tum istuc magis

Scio, diceretur. Pam. Quid id est? Pāt. Virtutes omneis narra tuas,

Vt hinc orneris. Aco. Agedum, adpendite zonam auro multo grauem:

Pan. Hui, tam graues auro loculos? Pan. Quid audio? aurûmne habet? Pam. habet.

Pan. Ego te, si nescis, auri encomium poßim docere, Aco. Dic.

Pant. Pulcherrima aurū faustitas mortalibus, Hoc te dijs parem

Facit: hoc qui habet, repentè honoratus, clarus, sapiens item

Rex splendidus fit. Aco. per Iouem, hæc dogmata Philauti dogmatis.

Consentiunt: quid prohibet, quin patiar me nomine regio

Salutari? Pan? Ter maxime rex, quin in clientelam tuam (menta hæc me.

Nos suscipis? Acola. Suscipio, En uobis auctora-

Pam. Nunc me totum regi dedo. Pan. Et ego quantus sum, illi mancipor. (culum.

Sic inter luscos regnabit strabus. Pulchrū specta-

Aco. Quid hîc stamus? quid hîc hæremus ieiuni? quin tendimus

Commessa

Commessatum? Pantola. Iamdudum est in patinis
meus animus. Pam. Vbi uis,
Nihil moror. Aco. Quò diuortemus? Pam. Hospi-
tem probum dabo.
Pan. dabit dignum patella operculum. Pam. Vnde
autem obsonabitur
Quæso patrone optime? Pant. Rectè. Acol. Cape
hoc argentum, & appara
Cœnam, quæ cum pontificali certet. Pan. Curabo
here. Aco. Tum Venus, (nibus,
Bacchus, Ceres nostris uolo intersint epulatio-
Pan. Fiet. Tibicines nunnam cupis deducier è foro?
Ac. etiam. Pam. Propero ad macellum. Heus Pāto-
labe, regem deducito
Cliens ad Sannionem nostrum, sed sublata sarcina:
Tenes? Pan. Sic. Aco. Vbi manet ille uoster? Pan.
Ad Veneris phanum. Aco. Bene est.
Sustolle hæc. Pant. Quàm pulchrè procedo ho-
die: ô fortunatum hunc diem.

ACTVS II. SCENA IIII.

Pamphagus solus.

Trochaici Catalectici.

HA ha he, quam tutum hospitium confiden-
tiæ meæ (uorticulū
Mihi paraui. Quàm promptum nactus sum di-
Excudendis fucis, imposturis & sycophantijs.

Hinc mihi præsens lucrum est: abradi dimidium potest.
Causabor caram esse annonam, ut conueniant ratiunculæ
Accepti & dati: in rationibus nullis tenerier (tēt.
Vinculis poßuim. Ad suffugia mille mihi rimæ pa=
Ναὶ iste totus decepit, qui nobis auscultauerit,
Per quos uelut in nassam illectus, ad uiuum usque croditur.
nt ra casses nostros præda est, q̃ usq; uenati sumus
lla nostris unguibus frustillatim discerpitur:
Quippe, sic peram illam nunc multo ære turgidam, ictibus
Vellicat, imexenterabimus, uix ut inopi siet
Reliquus obulus emūdæ resti. Quantūuis gestitet,
Auri in loculis uniuersum id insumemus luxui.
Scilicet triumpho serio, postquam cellarius
Euasi potentis domini, id quod futurum insomnia
Dudū prædicabāt omine læto. Nunc tēpus monet
Vt procurram obsonatum, prolixus satur mea
Post crumpam gaudia. Heus heus gestientem Pamphahum
Nemo lanionum uidet, nemo salutatum aduenit?
Faxo iam ostenso auro, quod me habere nesciunt, simul.
Ad me non accurrisse doleant obtrusis mercibus.

Actus

ACTVS II. SCENA V.

Acolastus, Pantolabus, Sannio, Syrus, Pamphagus.

σκάζοντες.

VBinam ædes nostri sunt hospitis? lassum
Me longa reddidit profectio. Pan. Nobis
En imminent here. Præcurram, ut fores totæ
Pateant. Heus, heus nemon' hinc prodit? insistam
Pulsare, nisi aperit ostium aliquis actutū. (Voster.
San. Quis tam grauiter pepulit meas fores? Pant.
Sann. Quis? Pant. Pantolabus. Sann. Pantolabus?
Mortuum pridem
Credebam, ut quem toto non uiderim mense,
Pan. Non est. San. Id uiso. Hem, uix te agnoscerē, uocem
Nisi nossem tuam. Vnde quæso ades, num imis
Ex manibus? Pan. Narrandi id nunc locus non est.
San. Quid, non? Pan. Quid? huccine uides obscœro? San. Cuias
Est, unde adduxti, et quò, qua gratia? Pā. Nostrâs
Est atq; à Pamphago huc adducitur, nostin'?
San. Quem? Pant. Pamphagus obsonatum abscessit, hic nummos
Dedit. San. Euge introducatur: commodus sanè
Conuiuator. Syre, hem Syre, sarcinam hanc aufer
Intrò: tum mox redi, plura habeo quæ mandem.

Optatus aduenis hospes optime, accede
Ad nos, omnis rei tibi copia hic fiet.
Aco. Nullas ne habes Veneres? San. Etiam. Aco. iube accersi.
San. Quanti precij mulieres? Aco. Plurimi, forma
Modò sunt praecellenti. San. Primariam sane
Dabo foeminam. Hem Syre, audi: Laidem accerse.
Syr. Iam? San. Iam. Syr. Caussae quid dicam? San. Adesse amatorem.
Pam. Ocyus haec introducite, ut coquis dentur.
Vos me sequimini tibicines intrò.

ACTVS III. SCENA I.

Bromia ancilla.

Senarij.

AN unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam iniuriam, quàm haec est mihi?
Venit ad me Pamphagus: Heus tu, inquit, Bromia cito
Reuise quid moretur Laidem. annus est
Prius quàm prodeat è gynaeceo. pedes
Inquam, foras efferre uetant negocia
Culinaria. Mox corripit fustem, fugam
Ex aedibus ineo. Sanè uerò, quia
Hunc insignem decoctorem adduxit, satis
Pro imperio agit, neque quisquam eius mores potest
Tolerare: sed saxo, meminerit huius loci,
Atque diei. Secundas res superbiae

Decent, sino. Verùm dum cœperit suum
Mutare uoltum fortuna, atq; hic indigus
Opis nostræ factus fuerit, vaì mortuo
Canet, dum quid supplex petet. Pol gratiam
Habeo tibi Pantolabe, qui intercesseris,
Plagasq; auorteris. Vt misera sum? cui quidem
Datũ est in hãc domũ, ubi tot sint domini: ubi uix
Decem coqui suffecerint edulijs
Concinnandis, quæ noster hic, si dijs placet,
Condus, promus modò attulit. Nunc affatim
Habet, quod plenis faucibus helluo uoret.
Habet, quod in fœdißimam uentris sui
Proluuiem mittat, Harpya obscœnißima.
Perstrenuè ille quidem officium facit, dum homo
Suauis adducit citharistrias sibi,
Ne non etiam, opinor, camelus saltitet:
Nam Pamphago nihil magis cum fidibus,
Quam graculo. Tum Lais scortum nobile
Magno quod meret, accersitum est hospiti.
Hos tantos sumptus quis ferret uel Satrapes?
Quid Pamphagus, an non certa pestis atq; item
Communis pernicies est adolescentulûm?
At at, forte imminet hic cessanti quispiam.
Proin uiso, siccubi hæret in uia Syrus
Cum Laide. Vtrunq; malè perdat Iupiter,
Per quorum nimiam tarditatem propemodum
Perieram.

Perieram papai, gregem ancillarum conspicor.
Huc aduentare: ædes nostræ uix ceperint.
Ibo illis obuiam, ac quid uenerim, eloquar.

ACTVS III. SCENA II.

Lais, Syrus, Bromia.

Septenarij & octonarij.

ITan'te misit Sannio? Sy. Misit. La. me accersitum? Sy. Ita.

La. Quis tã potẽs hospes uenit mei petitũ copiã,
Quæ grãdẽ demereo pecuniã? S. nescio, nisi q. uiri
Aduentũ herus meus excepit multò humanißime.
Lais. Nũquam cœnæ apparatum uidisti Syre? Sy. Non, sed Pamphagus
Obsonatum concesserat, hospes omneis sollicitos habet. (uitem.
La. Sat habeo, Pamphagus nõ illicit quenq̃ nisi di-
Syre, hem Syre, quidnam huc conari uideo Bromiam? Sy. huc? Vbi
Ea est? La. Ad nos uiam adfectat. Syr. Certè demiror quid fiet.
Lais. Iubebit nos forsan regredi domum, grauari enim hospitem
Impendijs. Sy. Non opinor. La. Subsistemus parũ.
Brom. Lais, iamdudum conuiuatum te uocat herus; quin uenis? (quid ita? cedo.
L. Hẽ Bromia, uenio. B. At iam uenisse oportuit. L.

Brom. Quia omnes accubant, teq; unam abesse in dignatur tuus
Nouicius amator. La. Quid uiri est? Brom. quid cũ tibi prædicem
Aut laudem Lais? dignũ, sat scio, te amica dixeris.
La. Recte Bromia. At desiderio mei nũnam uerè calet?
Bro. Caleat rogas? imò ardet te intimè. Lais, properemus ociùs.

ACTVS III. SCENA III.

Eubulus, Pelargus.

Octonarij.

PRouiso quid rerum gerat Pelargus, quo pacto ferat (sitan
Absentiã gnati, quem tenerè adamat: gemitq; for-
Nunc abdicatũ, quippe illũ educauit maximo suo
Labore: post curauit unicè, sperans stabilem fore
Voluptatẽ, quã ex illius præsentia acciperet. Satis
Credo, patris ut est ingeniũ, iã miserè solicitarier
Super salute filij: id uiso, moderetur ne suis
Curis nimis anxijs uerè sapientẽ quod uirũ decet.
Pel. Parentis quanta sit solicitudo erga absentem filium,
Ex me disco. Gnatus quia abdicatus est dudũ meus,
Non sustinet animus quiescere, quin is sedulò mihi.

 O bocu-

Ob oculos, ob mentem uersetur: absentem curo haud-secus,
Ac præsentem curaui pridem. Quàm uellem Eubulum dari,
Cum quo uolupe est de absente commentari filio.
Sed eccum, in tempore ipso aduenit. Eubule, salue plurimum.
Eu. O mi Pelarge non præuideram te: si uales, bene est:
Nam hac gratia ad te ibam, quò, quid ualeret animus, discerem. (censeas, nisi
Pe. Oēs mihi curæ coëunt. Eub. In quo? Pe. In quo
In gnato? Eu. Nū quid audisti de eo, quod nolis, tā citò?
Pel. Nihil. Sed quid ualeat miror. Eu. bene equide spero. Pe. Vtinam. Eu. Quid est,
Quod te solicitat autem? Pel. Gnatus. Eub. minue uerò hanc improbam
Curam. Pel. Non possum Eubule, gnatus est. Eu. Vt sit, quorsum attinet
Te excruciare? Pe. Mihi sic est usus. Eu. Si isthuc certum est tibi
Sic facere abiero. Pe. Potius quàm te careā, quicquid iusseris, (caue
Faciam. Eu. In primis, q, scio, tibi uidebitur durum,
Nimium sis solicitus, quando hinc nihilo meliorē feceris

Gnati ſtatū: quin magis cum fatis totū relinquito
Curandum, à quorum cura neutiquàm exciderit.
Nec audias
Epicureos, qui contendunt deos nihil mortalia
Curare, meliùs Homerus qui τύχην uagam quom
nesciat,
Soli decreto numinis regenda credit omnia.
Tu filiū trctaſti, dum tēpus tulit, ut decuit patrē:
Nūc amādatus eſt, feras. Satis pro officio feceris,
Aequus ſi perſtet filio animus, de quo quicquid nu
mini
Viſum eſt decernere, laudandum fuerit utroque
pollice.
Cum dijs quis unq̄ uel piè pugnauit, uel feliciter?
Sanè, haud uacabis impietatis crimine, ſi ultrà fas
tuam
Extendas ſollicitudinē, quando exitū futuri habet
Deus in ſua unius manu. Quid hîc tantum trepi-
das miſer?
An diffidentia tua uoles mendacij reum
Facere Deū, noſtri qui curā ſe ſuſcipere perbibet?
Qui capitis nōſtri etiam pilos omneis in numera-
to tenet?
Ecquem teipſum facis, ut ex aduorſo Deo reſpon-
ſites?
An inuides ipſi μοναρχίαν rerum mortalium?

Deos quæso, ut tuam tibi dent mentem. Pel. *Cogis tu quidem*
Me ire in tuã sententiã faciã ut post hac quietior
Sim dulcis interim commemoratio fuerit de filio.
Homo sum Eubule, *humani nihil est à me alienum.* Eu. *quæso, uide,*
Ne stulto adfectu ex hinc gnatum persequare, quẽ quidem putes
Zelum illi debitum: quum sint nolo erres, affectus mali
Recti specie commendati, unde expectes, non nisi noxiam
Imposturã. Verũ gnatus quid dicebat nouissimum?
Pel. *Duobus uerbis iussit me longum ualere.* Eub. *quid amplius?*
Pe. *Nihil.* Eu. *Num tristis abijt?* Pel. *Imò lætus* Eubule. *hinc mihi*
Lachrymas excussit ille, qui tam frigidus erat in patrem.
Eu. *Ita comparatum est natura, ut uirtutem præsentem minus*
Anima aduortamus: sublatam uerò ex oculis mox inuidi
Quæramus. quod gnatus minus uidet per adolescentiam,
Et consulit parum, ætas id correxerit, quãdo malo

Accepto stultus sapiet. Quid ualetudo det commodi,
Aegrotus pôst intelliget. Nunc illum pœnitet sui.
Nimis impense liber cupiuit esse: quod hic erret, modò,
Posterius sẽtiet, cũ ad te cõfugiet naufragus uelut
In tutum portum; id quod futurum ominor. Pela. Au mi Eubule, metuo
Ab omine. Eubul. Nihil est quod metuas: si isthuc eueniat, locus
Esto misericordiæ. Pe. Non usus ueniet, spero. Eu. Spero item
Ego hercle. Neq; eò dico, quòd quidquam illũ sensisse rim mali
Dedisse, sed si quid, ne quid, quæ eius sit ætas peruides.
In peßima sequax est, & in malum propendet pectore
Toto, idq; maximè dum consilijs suis relinquitur.
Quid enim ualet, quod in eo est optimum? malum illud sonticum
Quod πρωτοπλάστους *perdidit. patres: uiciauit item istius*
Mentem, quo non potest non solicitarier ad cupidines
Malas, quas & pro cõsilio Philauti studeat exeq

Nisi

Nisi præsens adsit corector, qui hunc ad meliora
prouocet. (manus
Si nescis, optimus ille corrector Deus est. Cuius
Moderatur omnia, & in quo, ut summatim dicā,
omnes uiuimus,
Mouemur et sumus, cū sit solus rerū omniū arbiter.
Pel. Credo Eubule, omnia hæc tam uerè quàm studiosè orarier
Quod de Pericle ferunt, Suadela in labijs sessitat tuis.
Cuperem quidem, in totum curam gnati exulantis
ponere,
Modò possem. Eubu. Fidenti sperata cedunt. Sed
nunquid aliud
Me uis Pelarge? Pel. Vt ad nos diuortas Eubule
pijssime.
Eub. Quando isthuc uis, fiat. nolo ullum in me tibi claudi commodum.

ACTVS III. SCENA IIII.

Bromia, Syrus.

Trochaici Catalectici.

GAudeo me defunctā istius cœnæ laboribus,
Tam negociosa mihi fuit culina: postulem,
Si liceret, me oppidò lassam refocillare. Sed
Quid Syrus petitum ueniat, miror, cum bellaria
Intrò illata sint? Ecquid fit in cœnaculo Syre?

Syr.

Syr. Quid fiat, rogas? cœna dubia sese explent, atque item
Proluti uino sedent conuiuæ: solus Pamphagus
Ieiunas prætẽdit fauces, quas uix tandẽ compleat.
Ventri auaro donat omnia. Br. Credo, nil nouum facit.
Nam πολυφάγος est, si quispiam alius. At hospes (quid rei
Gerit? an nõ in rarã Laidis formã intẽtus stupet?
Sy. Imò ait nescire se, quopacto amoris sumpserit
Satietatem. Brom. Amor nec consilium nec ullum habet modum.
Sy. Vin' tibi beneficium præstem Bromia? Br. Maximè. Sy. Vide
Quin tibi hoc ulli sapiat. Bro. Hem, Bromion est. Sy. Bibe largiùs.
Brom. Ha ha. Nunquam, quod sciam, uinum bibi meraciùs.
Hem Syre, uicißim dabo me tibi, quando usus postulat.
Syr. Postulat nunc & locus, & res ipsa & usus. Bro. Quî Syræ?
Syr. Non te clam est, quàm parcè hîc obsonetur dũ questus iacet.
Brom. Scilicet. Syr. Nunc contigit, cuius præsentia menstruum
Nobis commeatum commodè reponat. Bro, edoce

Vnde

Vnde id fiat? Syr. Si coniuncta opera penum nos
clanculum
Egeramus. Bro. Vah, consiliũ callidũ, si uerbera
Lucrifacere à Pamphago uclimus. Sy. Abi sis stultula;
Carptim singulas dabes truncabimus, ne sentiat.
Bro. Vulpes annosa laqueis, ne erres, capi haud ullis potest.
Tũ quã iracũdus, quã plagosus sit Pãphagus, scio.
Præsertim si cum tentes præda fraudare escaria.
Ob dapes surreptas, ille cœlum terræ misceat.
Nec bolũ cani famelico haud unquã tuto auferes.
Proin caue, ne ullum tuo tibi iumento accersitas
malum
Si sapis. Sed heus ? tibi autem. Syr. Nam quid est?
Bro. quid? respice, (cule
Lais unà cũ hospite interuenit. Sy. Enimuero her=
Intempestiue hic subsisto, postquam cubitu hos cõ
spicor
Surrexisse: procurramus intrò Brõia. Bro. I præ,
sequar.

ACTVS III. SCENA V.

Acolastus, Syrus, Lais.

Senarij, Septenarij, & Octonarij.

Hem seruule quisquis es, adesdum, paucis te
uolo.

Syr.

Sy. Quid me uolt hospes magnificus? Aco. ut dum fiet tempus, uoces

Nos ad repotia: prodeābulabimus istinc interim.

Sy. Factum puta: nihil aliud uis? Lais. manda lectū ut dapsilem

Concinnet. Acol. Heus genialem insterni lectulum

Dehinc curato, sodes puer. Sy. Curabitur promptißimè.

Ac. Non possum quin te amplectar mea uita, mea (uoluptas unica

La. Amplectere lubens animule mi Acolaste. Aco. Nunc iuuat

Demum uiuere, nunc deleo ex animo omnes ægri-(tudines,

Postquā ô faciē pulchrā te cōtigit uidere et alloq,

Adesse in unis ædibus, cibumq; una capere,

Da mihi suauium, si amas me, deliceum meum.

La. Imò uel decem ocelle mi. Aco. ô lubentias uitæ. ô deum

Voluptates. Quā uernant, quā lenocinantur oīa,

Quæ in te, & quæ circum te uideo: digna es, cui bene faxim lubens.

Quidquid poßideo, tuum est. La. Habeo pol gratiam tibi

Passercule mi. Ac. Nū quid poscis? quicquid id est, (dabo. Vis aureum

Spinter? uis flāmeum? uis armillas? dabo. La. Nihil

Horum uolo. Aco. Vis aurum? La. Torquem istum mea mentula.

En accipe torquem hunc: aptandum collo tuo tornatili.

La. Hem mi dulcis pusio quid iā? satin' placeo tibi?

Aco. Tu ne? etiam si nihil adiumenti ad pulchritudinem fiet,

Forma Venerem exuperas ipsam. Quid quod Lais mea rogo? La. Quid (me non amem.

Acolaste? Aco. Num me ames? La. Ludis? potiùs

Quàm tibi desit amor, hoc tam uerū crede quàm te uiuere.

Aco. Agè, credo. Nα i felix ego sum, qui Laidi

Placeam. Osculum, mea lux. Hoc melle dulcius: meus obsecro

Sis animus, quando ego sum tuus. La. Certè, nullus mihi charior (animæ meæ.

Acolasto. Aco. Te uicißim amplector pro dimidio

O molles dactyli, ô genæ lubentes, eia ut eligans

Es. La. Quis te quoq; spernat Veneris catelle. Ac. At uror intimè

O mea festiuitas. La. Locus est, ubi ardorem hunc tuum (tas mea.

Extilles. Quid suspiras corculum? Aco. Te, fausti-

Tu pol meum mihi iecur ulceras amoribus.

Sy. Ita ut iusisti hospes, toros instruximus.

Quando uoles, commessatū intro concede: omnia

Sunt apparata. Aco. Ehodum ad me, seruus tu quidem

dem spectatus es (Syr. bonus
Satis cui res mea curæ sit: cape hoc denarium.
Hercle es uir, & perliberalis. Perpetuo me tibi facis
Deuinctũ hoc beneficio tuo. deos quæso ut san' sies
Nobis in multam ætatem. Quàm sæpe accidunt.
Quæ nõ ausim sperare? furtum meditanti, in sinus
Illabitur aurum præter spem, saluus sum. Acolast.
Iámne imus, meum (rit mora.
Nectar, meum mel? La. quando uis nulla in me e=
Ac. Abeamus hanc solidam noctem consecratum
Veneri. La. Placet.

ACTVS IIII. SCENA I.

Pamphagus solus.

Octonarij.

ITan'ad clarum dormiui diem? nox multa adhuc meis (animo.
Est oculis: eijciendus hercle est iste ueternus ab
Intendendi nerui quæstui nostro. Sed nausea
Quæ tãto stomacho? quidnam hæc oscitatio uolt?
Extendere (propellere
Hos neruos nunc demum iuuat, iuuat & oculis
Somnum. Quid? an ructas etiã Pamphage crapulã
hesternam? insolens (concoquit.
Isthuc quidẽ facis ualens stomachus, qui & cruda
Quid? an acidis opus erit inulis, quæ mihi fastidia

 Extrudant?

Extrudant? Opinor latrare stomachum, impran^g
ut assolet (grauarier.
Saburra enim uentris nunquam tantum memini
Vt cā egerere stomacho esset opus. ubi ipsam Aet-
nam circumfero. (tum biberit? hem.
Sed heus, Pantolabum ne tam maue, qui heri tan-

ACTVS IIII. SCENA II.

Pantolabus, Pamphagus.

Trimetri.

O Salue columen ordinis parasitici.
Pā. Salue ô primū decus sectæ Gnatonicæ.
Pan. Mutuum muli scabiunt sanè festiuiter,
Mutuum dum testimonium inuicem damus.
Pāp. Pātolabe, ecquid placuit hesterna epulatio?
Pan. Nunquā quidē cœnaui, quòd sciam, unctiùs.
Gulam oppleui meam usq; ad summum dapsili
Luxu. Quid tu? Pam. Genio ipse indulsi maximè,
Non possum, summa quin circunlingam labra.
Mel Atticum sapiunt hesterni iusculi
Reliquiæ. Pant. Pol dētes & mihi uolupe est iugi
Succu macerare, cùm nidorem carnium
Vncti supremi digiti offundunt naribus.
Pam. I nunc, & somnia irride posthàc mea.
Pant. Non arbitrabar isthuc mi Pamphage fore,
Felices, qui tam propitium habuimus Comum.
Pāp. quid? agnoscis etiā per quē huc promoueris?

Pan. Dis, te te patrono, factus sum mi Pamphage
Ex mendico. Pam. Lubēs feci. Pan. est quod gestiā.
Pā. Est quod triumphē. Pan. Io. Liber pater, io, io
Ceres. Age, ineamus quæso cantiunculam,
Qua'em sonant Euanthi Thyades. Pam. Gaudia
Ser..emus ista u..spertinis horulis,
Qu..bus uoluptabitur hospes cum Laide.
Inco..us stomacho sic excundatur cibus
In proximam cœnam: iciunos haud decet
Stultescere tripudijs. Pan. sapidißimè mones.
Quid nunc fiet? Pam. Quod somnij portenderat
Pars reliqua. Pan. Quid id est. Pam. Num meminis-
ti? Pan. Nihil.
Pam. Dolosa ut ..l..a huius loculos atteram.
Pant. Communi nūnam id fiet sorte Pamphage?
Pam. F..et. Pant. Merito te amo & colo. Pam. Fac
interim
Curetur prandium & cella penuaria.
Pan. Faci..i. Quid hic habes? Pam. Lucrosas aleas.
Nostin'? Pan. Noui & sensi talos bene polypos,
Quibus facultatum bona pars perijt mihi.
Pam. Nisi fallor, audio screantē Acolastum. Vale.

ACTVS IIII. SCENA III.

Pantolabus solus.

σκάζοντες.

ABijt homo ut istius pecuniam emungat

 Omnem

Omnem, tot callet artes, tot dolos nouit.
Principiò dum altam ludit, satis fingit
Se ludi indoctum; nonnunquam & manus blandè
Remittit. quare, uelut hamo illicit pisces
Esca prætento. Mox ubi incalet lusor,
Cupidini lucri auctioris incumbens,
Pecuniæ omneis grumos aliæ in lusum
Coniectos, iactu uno facit suos. Quippe,
Lucrosam presso pollice Venerem mitit,
Quoties uolt. Tum caniculæ imperat iactu,
Vt ne cadat damnosa, id quod meo dudum
Didici malo, qui hic perdidi facultates
Meas, ictus piscator sapio. Verum hospes
Amissa re, protrudetur foras: dura
In quem fient exempla, timeo: quid dixi
Timere me? Imò gaudeo, quòd minus lædant
Communia mala. Quin adiutor accedam
Miseriæ illius, quando res feret. Cur non
Mihi quoq; liceat in alios, quod ipsorum
De me licuit licentiæ? Sed heus exit
A nobis, nescio quis, si leno sit, miror.
Certè ipsus est. Quid quod commotus apparet?

ACTVS IIII. SCENA IIII.

Sannio, Pantolabus, Pamphagus.

Tetrametri omnes.

DII immortales, quod hoc proluuium est,
quæ isthæc tanta largitas?
Salus si cupiat ipsa, nõ posit seruare isthũc uirũ.
Pan. Mi Sannio, cuius quæso uiri casum misereris?
San. Hospitis.
Pan. Quid ille? San. Rem omnem amisit alea. Pan.
cuius captus dolis? (re? O uersutias
San. Cuius censes, nisi Pamphagi? Pant. dixin' fo=
Hominis uersipellis. Sed quid Acolastus? San. Per=
perplexus iacet (rare posse. San. nõ
Infermento. Pant. Censen' uerò hominẽ hic diu du=
Equidem arbitror. Nam proximum est, ut miser
hospes præ inopia,
Fugiat aliquò, uel finiat uitam laqueo, non uiuere
Malens quàm miserè uiuere. Pam. Iam ne erumpe=
re hoc mihi gaudium (sydere.
Licet? Proh Mercuri, quàm dextro me aspexistis
Nunquam uos satis collaudẽ mei tali: uobis enim
Debeo, meam quod tucor uitã ab inedia. Sic censeo
Capiundos esse adolescentes istos pecunia ebrios.
Pan. Quis hic tã procaciter insultat, dulci fortuna
ebrius?
Pam. Sed ubi mihi nũc Pãtolabus est, cogito. Pan.
Me nominat.
Pam. Vt huius gaudij ille particeps fiat. Pantol.
Quid Pamphage?

Quid gestis obsecro? Pam. Quid gestiam, rogas? feliciter (geant?
Cecidit alea. Viden' loculos, ut auro multo tur=
Pant. Festiuum caput. Amabo, num nam lucrum tecum patiar, (Meis in ædibus
Vt conuenit? Pam. Non pugnabimus isthic. San.
Tibi parta res est: quare, quòd hic ius publicum est, redde. Pam. Accipe (tuæ
Prædæ partē, quò post queā integra uti amicitia
San. Quis soluet ius hospitij? Pam. Quid id autem mea? San. In ædeis meas
Tu introduxti hominem. Pam. Sunt ei uestes. San.
Quid tum? Pam. Illas exue
Ἀχρήματον nebulonem. Quòd si illinc nihil re= soluitur, (decoctor est?
Redito ad me, faciam ne quid querare. Sann. Vbi
Pā. Ab alueo intrò proruit cōmotus Laidis, nisi
Fallor, fruendæ gratia, dolorem cōplexu ut leuet.
San. Abeo ut meū ius postulem. Pan. Age Pampha= ge, sortem mihi face
Diuiduam. Pam. Ne nihil habeas, cape. Pant. Tan= tillum? Pam. Non amplius.
Pant. An hæc promissa fides est? Pam. Irritor, ni de sinas. San. Pape
Rixātes audio, quos animis rebar cōiunctos bene.
Pam. Quos? San. Istos. Deplumis amator furdæ fit

supplex Laidi.

Vos adiuuate me, precor, ô boni, ut resoluat debita. *(stras manus.*

Pant. Agedũ fores stipemus, ne effugiat hodie no-

ACTVS IIII. SCENA V.

Lais, Acolastus, Syra, Sannio, Pamphagus, Pantolabus.

Trochaici.

Q Vin soluis noctem scelestè? Acol. quæso te Lais mea.

Lais. Quid Lais mea? an tibi adeo digna uideor, quàm dolis *(bitur*

Sic illudas, & spe uana producas? Aco. numera-

Aurum tibi. La. Quãdo? ad Græcas Calẽdas? Aco. Non, sed ad. La. Satis *(cro te.*

Iam diu dedisti uerba nobis. Acolast. Audi, obsc-

La. Quem audiam? quid audiam? Ac. Quæso paulisper. La. Hem, Syra.

Sy Quid uis? La. Vestem huic detractam. Sy. quid ita? La. quia lubet, cape

Vestem. Aco. Itan' Lais? San. Mea hic res agitur. Hem Lais, satis

Hoc sit exuuium tibi, mihi cedant hæ manubiæ,

Ensis cum pileo. Pan. Quod reliquum est prædæ, nostrum est. exue.

Acol. Vis quidem est hæc: obsecro ô populares.

Pan. Quin os comprimis?
Ac. Haeccine fieri flagitia in libera ciuitate? Vah.
Totus deglubor miser. Nûmnam relinquetis mihi
Amiculum? Pan. I sanè iam quo uis. San. Vapulis.
Acol. hei, hei, uerbera (simul.
Insuper misero additis? Sann. diuortite ad me oês
La. Heus tu nebulo, respice ad me. Vestitum hunc
depexum habe.

ACTVS IIII. SCENA VI.

Acolastus solus.

Senarij.

QVid nunc agam? quid clamem? aut unde exordiar
Telam quaerendi? O coelum, ô terra, ô Iupiter,
Aspicis haec, & patere, quem dicunt hospiti
Dare iura? tam multa res me circunsedent,
Quae me afflictent male, ut ubi sim, quo eam, rei
Quid ceptem, nesciam. Perij, interij miser.
Ex rege nummato ampliter, repente inops
Mendicus, quis ferat? mirum ni lumina
Mihi exsculpam: Vestitus ubi? perijt. meus
Vbi torques aureus? perijt. pecuniae
Vbi tanta uis? perijt. Valetudo nihil
Ne attrita est? haud lubet meminisse. Pauperem
Quis in tecto dignabitur? Hem, tandem mihi
Tellus fodienda, aut stips mendicanda est: negant

Illud

Illud uires exhaustæ, & hoc prohibet pudor.
Accedit & malis meis, quod durior
Fames totam regionem occupat, ut nesciam
Si quis me admissurus sit ad cœnæ suæ
Micas. Fame interea moportet. Sed cui malum hoc
Feram acceptum? illis, qui me illexerunt nimis
Dolose in fraudes? an mihi, qui auscultauerim?
An irato meo genio, qui me his malis
Conclusit? Quam nouercaris Rhamnusia:
Quám me deorum ira adflictat malè. Hei mihi.
Sed frustra queritor hîc, ubi nemo audiat.
Id solum restat, fata ut quò mecunq; agant,
Eò nunc errans subsequar: ô dolor, dolor.
Vt dij uos malè perdant lupæ obscœnissimæ,
Quibus seruiui turpiter. sed commodum
A uilla rusticus uenit, isthunc adoriar,
Pudore posito, ut qui mihi sit inutilis.

ACTVS IIII. SCENA VII.

Chremes, Acolastus.

σκάζοντες.

EX uillula mea tantum reportare
Solitus eram prouentuum, ut satis uitæ
Necessitati illinc reponeretur. Sed
Quia nunc in parte ager est remissior, pingui
Porca tellurem censeo piandam esse,
Vt ruri cuncta prouenire det multò

Felicius quàm dudum, quom boues omnes
Ad unum abortirent, segesq; constanti
Rubigine uiciata non daret messem,
Quæ res peperit nobis penuriam annonæ.
Omnē sinistrū, hic magnus nebulo stat. Quid uolt?
Aco. Colone, salue plurimum. Chre. satis dudum
Saluco, si non etiam tu mihi salutem des.
Quid uis? Aco. Precor, ut hœdi, boues, oues, capræ,
Tibi fœtus êdant pro uoto tuo. Chre. faxit
Ita Pan noster. Vale. Aco. Quæso, eû lias pauca
Prius, quàm abis. Chre. Nūquid te torquet autem?
Aco. ingens
Fames. Chre. Credo, grassatur illa multorum
In faucibus. Aco. Nunc te oro eam leues pane
Atro uel furfure. Chre. Ociosus es totus,
Proinde indignus, cui uictus detur. Ac. At nullus
Me uocat ad operas. Quòd si ullo tuo ex usu
Queam esse, non detrecto manus meas duro
Operi locare pro tolerabili uictu.
Chr. Sequere me abligādus mox ad meos porcos,
Vt eos agas. te dignum commeatum addam.
Acol. Sequor. Vah, ab equis ad asinos? non magis
credas
Fortunæ uultui, quàm mobili uento.

ACTVS V. SCENA I.

Pelargus, Eubulus.

Septē

Septenarij & octonarij.

PRæsagit animus nescio quid mihi imminere
tristius. (ciosus es

Eu. De quo? Pel. De filio Eubule. Eu. Nimis suspi-
Pelarge: quò quid aliud, q̃ malũ conduplicas tibi?
Neq; enim formidine ulla arcere potes malum fo-
ribus tuis.
Quid autem est, quod te sollicitat, cedo? Pelar. Ne
ille algeat,
Neu uitam miserè trahat in sordibus. Eub. quæso
unde has colligis (uiscier.
Suspiciones? Pel. Primùm, ominis tui nequeo obli-
Hunc ante oculos meos subinde ástare uisus filius,
Pannosus, sentus, squalidus. μονογράμμος. fleti-
bus (stißimas.
Largis oppletus lumina, uoces unde hausi mœ-
Postremo, uereor quid sit, q̃ de ipsó nihil audiam,
Nisi mortuus est; quid censes? Eu. Proximum esse
nuncium, (nas metum.
Statum gnati qui commemoret quis sit. proinde si
Pela. Curæ est mihi haud secus, ac oculi pupilla,
quin pariter cũ hoc ego (ægrè, Quia.
Me affligi interpretor, quoties illi quicquam est
Hoc inquam patrium est, communia mala bonaq;
ducere. (mine.
Hoc qui nescit, fateatur se indignum esse patris no

Eub.

Eub. Nempe ut dicis. Sed modus est in re qualibet optimus. (rem ponere,
Pel. Est, si queam assequi. Eub. Velis solum dolo-
Facile quieuerit. Pel. Alios nescio, sed euenit
Mihi quidem, ut ægritudo quotidie magis de filio
Augescat, tantũ abest, dies ut adimat ægritudinẽ.
Nam quanto abest diutius, hoc magis cupio, tantò & magis (dictitat,
Desidero. Eub. Pelarge, quod animus iamdudum
Haud longè abesse nunciũ, haud uanũ puto: abiero
Igitur ad portitores, ex quibus forsan discam omnia.
Tum: interea domi operitor: mox huc reuolauero.
Pela Faciam. Quam suspicioso nunc sum animo, omnia timeo, neq;
Quicquam timeo. Seditiosus plane cordis
Senatus est, in quo nihil consilij consistere queat:
Ita ut fit, ubi quod impense cupis, times ne non tibi
Aduorsum eueniat. Inter spem & metum hæreo: huc me conijcit
Gnatus cui salutem, quam acurro, uereor nimis
Deploratã esse, ut oĩa plena sunt periculis, dolis,
Labe, maculis, & pestibus, quoquo uorsum respexeris.
Domi nunc desidere certum est, dum Eubulus redeat meus,

ACTVS V. SCENA II.

Acolastus solus.

Trimetri.

Quis tam duræ est mentis, quem non deiecerit
In luctum & lachrymas fortunæ acerbior
Casus? Argentum quod rebar dudum mihi
Fore immortale, uah quàm puncto temporis
Perijt? luxuria inopiæ mater, quam mihi
Amicam habui unicè charam, omnia abstulit,
Rem, nomen, amicos, gloriam. quid non? Quia
Verò nunc non est, unde ipsa alatur, suam
Mihi reliquit gnatam inopiam. Viuus, uidens
Pereo. Vbi nunc tuceta sunt, & splendidæ
Dapes? Vbi uinum mirè fragrans? Vbi
Tibicines, & omne genus modulaminum?
Vbi clientes? Profectò hoc uerè dicitur,
Fortuna uitrea est, quæ quom splendet, frangitur.
Canistellum hoc penum dedit parcissimum,
Et eundem sordidissimum: quod quom fiet
Exhaustum, quid reliquum est, nisi ut aqualiculus
Siliquas mihi det cum porcis communes, priùs
Quam totus interceam Saguntina fame?
Ita ne subulcus hic regno Bœoticas
Inter sues rex quidem splendidissimus?
Miser nemo est æquè atque ego, Nunc nunc postulẽ

Frugi esse, nisi nequicquam hoc postulem, bonis
Amißis omnibus. Quid faciam igitur? quid? in
Sordibus istis oportet sordescam magis
Ac magis, unde emergendi spes mihi nulla sit.
Vtinam in matris nixu occubuissem infantulus;
Vtinam inuisam hanc lucem licuisset rumpere,
Potiùs quàm uitam in tantis ærumnis traham:
Neq; sciam, si meliora etiam instent mortuo.
Ego mihi montis ardui casum imprecer,
Qui me perdat: tam non suaue est uiuere.
Mortis simulachrum qui uolet uidere, me
Cõtempletur. Quid enim uiuum in me aduortitur?
Quid sum præter mutum pecus, & sine pectore
Corpus? Veh luci, ueh natalibus meis.
Tædet cœli conuexa contuerier ampliùs.
Nam ut unda superuenit undam, ita alij fluctui
Curarum insistit alius, æstuans mare
Pectus meum dicas ex uero nomine,
Num me deorum quisquam respicit,
Quibus tã sum neglectui? haud equidẽ arbitror.

ACTVS V. SCENA III.

Eubulus solus.

Trochaici Catalectici.

EST isthuc datum mihi, ut nusquam non recte consulam,
Atq; uideã, nõ solum quæ sunt ante pedes obuia,
Verum

Verum & quæ procul uentura sunt, prospiciam longius.
Veni ad portitores, ut quæ de Pelargi filio
Fama narraret publica, cognoscerem, quando id patrem
Mirè sollicitum teneret. Quid multis ago? cōperi
Neutiquam falsa esse, quæ nuper de ipso dedi oīa.
Scilicet, Acolastus ad paupertatē pertractus est
Adeò pœnitendā, ut ad fruges nō posit corrigi.
Taceo, quæ de eo grauiora audiui. Quid restat? nisi
Vt Pelargū repetā, qui curis se adflictat improbis
Nam me (scio) solicitus expectat, dū ad se redeam domum

ACTVS V. SCENA IIII.

Acolastus solus.

Senarij.

SCelerata mentis carnificina, uah, quibus
Me excruciat modis? ut nunquam sit locus
Quietæ menti. Plumbum gestare uideor
In pectore, adeò grauis intus pondere torqueor.
An nunquam desinent oculis meis mala
Mea, & quæ admisi turpiter, aduersarier?
Quæ de inferis narrantur, fabulosa sunt

Omnia, si non, ueros experior inferos.
Egomet me concoquo, excdo, atq; etiã execror.
Dignus sum quem ima tellus dehiscat, ob meam
Iniustitiam, quæ tanta est, ut non audeam
Vnquam mihi sperare ueniam à patre. nam
Eius lene imperium reijci perfidus:
Vnde abdicatus, mox diuorti ad peßima
Queq; flagitia. Rem omnem confregi turpiter,
Luxu, infami alea, quid? quod scortis dedi?
Merito quidam meo hanc inopem uitam incolo.
Inglorius uiuo, patria careo. Adde quòd
Eam maculam incidi, quam nescio, si eluam
Vnquam: ut taceam, quod aspersi genus meum
Infamibus notis, quòd fabula sum omnibus
Notis, amicis. Tum, quid dicam de patre?
In quem tot nominibus iniurius fui?
Bonis cum corporis, tum animæ mihi datis,
Datorem contra, fateor, abusus sum impiê.
Vbi nunc Philaute consultor mihi es meus,
Dum consilium simul cum re amisi miser?
Vt iussa patris cum sacro uolumine
Legis contemnerem, id ne autor fueras mihi?
Deos mihi iratos scio, qui auscultauerim.
Porrò super omnia intolerabilis est fames,
Quam gesto in utero, ubi & dolores excitat
Magnos, morte omni atrociores. Nam neque

Siliquis, neque cœno quo immergor, sedare eam
Datur: dolor uteri manet, manet fames.
Adeò nunquam nisi deterius habebo in hac
Regione, non uideo, quid restet consili.
Heu me, quot mercenarij in patris ædibus
Abundant panibus, dum ego interim hîc fame
Pereo? Quiduis possem illic facerem, & perpeti,
Vt ex calamitate hac tanta me extraham.
Vel unus panis ibi hanc leuauerit famem.
Agè, agè, quid si patrios postliminio petam
Lares? Non ausim, propterea quod exulem
Me illinc feci. Quid si tentem? tamen nihil
Egero. Qua fronte enim, quo ore, quibus uestibus
Redeam ad patrem, nudus, sceleratus, impudens?

ACTVS V. SCENA V.

Pelargus, Eubulus, Acolastus.

Senarij omnes.

Ain' tu? Eubu. Sic est. Pel. obsecro te, quid audio?
Hanc tandem famam patriaq; tibi bona
Acolaste tradidi, ut per flagicia perderes,
Mea uirtute partam gloriam? Viam
Feci facilem, & planam ad uirtutis culmina;
Tu fecisti ut difficilior nepotibus

Posthac tuis sit, qui libidinem malam
Virtuti anteposueris. An non æquom fuit,
Meo ex præscripto uiuere te? Philautus hoc
Tibi adiutor fuit, ut huc corrueres mali.
Verißima stat sententia: Vbi animus semel
Cupiditate se deuinxerit mala,
Consilia consequi prorsus consimilia.
O me bis miserum patrem te filio.
Eub. Pelarge mi, quin mittis has querimonias?
Pelarg. Iustas parit querimonias iustus dolor.
Eub. Credo, sed nunc res poscit, & locus manet,
Vt cogites de restituendo filio,
Pariterq; adfectum in eum induas pij patris,
Et re declares ipsa, quanti filium
Facias. ægrotus non nisi medica manu
Opus habet. Pel. Habet, si spes sit uitæ. Eu. Est multa adhuc
In filio. Aco. Nullus sum, si non quispiam
Deus mihi, ceu ἀπὸ μηχανῆς, appareat.
Nam malè sibi consciæ menti mors ingruit.
Pel. Agè, quæ ille designauit mala, non iam puto,
Quin magis in hoc incumbam, uti honorem inglorio,
Salutem perdito, uitamq; mortuo
Hinc Eubule apprecer. Eub. Pol te dignum facis.
Aco. Sed illud ecce subitò aspiratur mihi:

Bonum esse patrem, facilem, placabilem, pium,
Vt attollam caput, illinc spem mihi ueniæ
Affulgere. Hem, quid si insistam ad patrem meum
Precatiunculam meditari supplicem?
Pater, peccaui in cœlum & coram te, tuus
Posthac indignus sum, qui dicar filius.
Sodes pater, uelut unum è mercenarijs
Tuis me habeas: nihil operæ quantumlibet
Hinc sordidæ recusem facere, ut in tuum
Municipium asscribar. Quid hoc? oratio
Placet, eugè surgam, & patris regiam mei
Rectà petam, contemptis sordibus: id agam.
Pel. Hem, quid cogitas? Num fata filij?
Eub. Quin dicam, quod libenter audias: tuum
Videbis hodie filium. Pe. Meúmne? Eub. ita.
Pelarg. Meum obsecro filium? Eub. Sic diuino.
Pelarg. Deos
Quæso, ut ne uana sint, quæ nuncias. Enim-
Vero cupio ipsum iam uidere, & alloqui.
Eub. Non esse cum procul à porta nunc arbitror.
Pe. Agè, uisamus meus redeat particeps
In quem adfectum uerè patrium modò indui,
Præteritorum nihil reminiscens amplius.
Aco. Quid, quò molior iter? ad patrem ne? maxi-
mum
Profectò facinus audeo, nolo, uolo.

Ecquò fretus? Nihil referas pedem tamen.
Quis ille sibilus? quò me transuorsum rapit?
Præter spem in spem erigor mihi instantis boni.
Pel. Quando tandem uidebo te fili? nihil
Ne te miseret huius patris? Eub. Quid tam gemis
Pelarge? noli te macerare. Pe Eubule mi,
Quid quæso est, quod mea commouentur uiscera
Ad istius occursum, quem prospicio procul?
Eu. Pelarge filius est. Pe. Est? Certè est, proruam
In illius amplexus. Eub. Sum uerus. Acolast. Sed patrem
Video: quid porrò agam? adeon' ad eum? Scilicet:
Pater peccaui in cœlum & coram te, neq;
Posthac sum dignus dici filius tuus.
Pela. Hem, mi fili, ò fili mi? Acol. Aũ mi pater, fuge has
Meas sordes. Pel. Nihil quidquam offendunt, quia
Te amo gnate mi. Acol. Obsecro pater. Pel. Donata sunt
Tibi omnia, bono animo es. Places, nunquam ut magis.
Acolast. O pietas patris. Pel. Nunc tollare humo. Aco. Hoccine
Est esse patrem? hoccine esse filium? Pe. Heus citò
Proferte stolam primam, & induite filium.
Deinde annulum date ei in manum: tum calceos

Pedibus ipsius submittite. Subinde uitulum
Illum bene saginatum adducite, atq; item
Mactate, quò sumptis epulis lætemur, &
Vno omnes imbuamur gaudio, quia
Hic filius meus iamdudum mortuus
Erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.
His his, mi fili, uestibus induêre. Aco. *Sed ô*
Quid ego nunc te laudem pater, qui laudibus
Es omnibus superior? Hoc *certò scio,*
Nunquam tam magnificè quicquam dicam, tua
Quin id pietas longè superet. Itan'
Ex inferis & morte, ad uitam ad gaudia
Reuocasti me? præ gaudio, ubi sim nescio.
Res nulla potest mihi tanta interuenire iam,
Vt ægritudinem adferat: tam gaudeo
Me patrem habere te. Tibi *me dedo libens:*
Tibi me totum permitto: tu mihi pater,
Tu patronus, tu seruator. Pel. Gnate *mi,*
Exhinc eris mihi multo coniunctißimus,
Vna salute felix, conuiues mihi.
Agè agè, intrò epulatum concedamus. Eubulus.
Scilicet.

PERORATIO.
Trimetri.

Nolo putes spectator optime, hic nihil
Mysterij latere tectum ludicra
Sub actione: quippe, perdito salus
Vt parta sit homini, reteximus, uelut
Imagine oculis prodita, Vnde discere
Facilè potes, quæ hominis rebellio in Deum
Ex comtumacia, quam meritam accersat sibi
Mortem. Sed ex aduorso habes, Dei patris
Sit quanta pietas, qui libenter redditum
Sibi filium recepit, neq; exprobrat sua
Ipsi impius commissa. Sed complexibus,
Sed osculis, in filium totus ruit,
Nihil moratus illius sordes. amor
Enim haud uidet maculam, & promptè mali
Pridem patrati obliuia accipit. Citò
Qui læditur, parùm amet oportet. Iam pater
Cœlestis omneis citra controuersiam
Vt amore uincit, ita & reponit filio
Suo beneficia summa pro maleficijs
Summis: facitq;, ut tota gaudijs domus
Nunc perstrepat, quæ luctuosa dudum erat.
Quæso uicißitudinem rerum uide.
Huc gaudiorum omnes quidem uocamini,
Qui adstatis istic, si modo agnito malo
Resipiscitis, ueniæq; spem cum prodigo
Nepote uobis à patre pollicemini

In hoc adeò Christus parabolam ipse adhibet.
Vt quàm dolemus nos Deo aduersarios
Iræq; nasci filios, tam nos iuuet
Contrà in patris longè optimi quod gratiam
Rediuimus per spiritus charismata,
Quæ si tibi persuasa erunt per nos satis,
Spectator optime, nihil est, quod amplius
Sperabis à nobis, frui istis gaudijs
Tibi datur in omnes dies. Plaude & uale.

GVILHELMVS FVLLONIus canebat, apud Hagienses suos. Anno, M. D. XXIX.

Æneæ Siluij pij secundi, poetæ laureati, in nostri Saluatoris passionem.

Carmen Sapphicum.



Vid tibi tandem ſcelerate quæris,
Quid petis fallax homo, qd requiris
Immemor, qua te pietate Chriſtus
Quærat ametq;?
Venit in mundum ſoboles Tonantis:
Et licet cœlum regeret ſupernum,
Ex Deo ſeruus uoluit uideri,
Carnis in umbra.
Tu cinis putris, fugienda peſtis.
Alta depoſcis miſerande uermis,
Vt patrem credas habuiſſe nullum,
Terra tumeſcis.
Ille carnalem pius in parentem,
Quos decet cunctos referens honores,
Sabbatum nunquam uiolauit unum,
Semper honeſtus.
Tu patris iuſſus fugis atq; matris,
Feſta peccatis uiolas nefandis,
Et Deum qui te reparauit horres.
Dæmone peior.
Ille ieiunas domuit ſuperbum
Spiritum carnis, cibus atq; potus
Illius corpus fuit ad regendum ut

Viueret èdit

Tu mades uino, Veneri parcentas,
Nulla te Bacchi Cererisq́; possunt
Dona uorantem satiare: uentri
Viuis amicus.

Ille sermones habuit modestos,
Et docens sedes iter ad beatas,
Quo suos quisq; repararet actus,
Ordine dixit.

Tu uel infesta uenenante lingua
Proximum carpis, superos lacessis,
Fabulas crebrò referens inanes,
Turpia narrans.

Ille nullius bona concupiuit,
Et manus odit nimium cruentas,
Pauperem duxit coluitq́; uitam,
Pacis amator.

Tu rapis quicquid potes, & cruorem
Appetis, fratrum scelus omne paruum
Diues ut fias, reputans ubiq;
Prælia misces.

Disce te quanti miserande fecit
Ille, qui uinclis uoluit teneri,
Vt tibi summam pareret quietem
Ductus ad Annam.

Cæsus est illic alapis magister,
Et redargutus dominus deorum.

Nocte mox tota trahitur per urbem,
Discruciandus.
Inde Caiphæ datur audiendus,
In Deum testes citat hic malignos,
Ducitur uinctus, reus & Pilato
Mittitur illinc.
Hinc ad Herodem rapitur uidendus.
Purpura sumpta redit ad Pilatum.
Qui licet nullum uideat reatum,
Iudicium fert.
Innocens agnus manet ad tribunal,
Quem flagris cæsum ferat ad coronam
Spineam cogunt: uicibusq; pulsant
Corpus honestum.
Conspuunt uultum, oculosq; fœdant,
Astur ut raptum lacerat columbam,
Membra cœlestis speciosa regis
Dilaniantur.
Nec mouet turbas speculum doloris:
Clamitant cuncti crucis esse dignum:
Solue latronem, crucifige Christum,
Cæsaris hostem.
Dum crucem gestans trahitur necandus,
Obuiam fertur lachrymosa mater,
Quæ suis tundens manibus pudica
Pectore clamet.

Nate quo pergis periture? quis te
In modum talem laniauit hostis?
Te meum pignus cupio uidere,
Respice matrem.
Te meus uenter tulit, has papillas
Suxeras quondam, generose fili,
Me tuam spernis, fugis atq; matrem,
Respice quæ sum.
O truces, seuæ, rapidæq; gentes,
Quò meum fertis genitum Iudæi?
Nil mali fecit, sinite hau meum me
Tangere natum.
Ille submissis oculis abibat,
Ad locum uenit crucis, atq; nudus
Et duos inter positus latrones,
Fertur in altum.
Inde sub ligno sitiens, acetum
Felq; gustauit: latus est apertum
Lancea, sanguis fluit atq; lympha,
Matre uidente.
Probra quid dicam referamq; multa?
Se Dei facit genitum: quid ultra?
Clamitant plures: alios beauit,
Se modò saluet.
O Iesu quantum genus hoc amasti
Perfidum? qui ne morirentur, ipse

Pergis ad mortem, moriendo nostra
Morte lauas nos,
Sic homo pro te patitur redemptor,
Tu quasi surdus, penitusq; cæcus,
Gratiam pendis nihil esse talem,
Crimine plenus,
Ipse qui uerbum facio, miser sum,
Peior & magnas datus in ruinas,
Nosco peccatum, scio quid gerendum,
Nec melior sum,
Ni tuum præbes Deus ô fauorem,
Gratiam ni des homini perempto,
Perditus labor, miser in gehennam,
Igne piandus,
Labitur, quisq; sine te beari
Quæritat: munus datur hoc ab alto,
Tu uocas quos uis: rogo me uocandis
Adijce seruis.
Da mihi lumen uideam quid egi.
Da mihi fontem lachrymis inundans,
Nunc meum plorem sceleris reatum,
Teq; reposcam,
Non parem Paulo ueniam acquiro,
Gratiam Petri neq; posco, sed quam
In crucis ligno dederis latroni
Sedulus oro,